QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS X. MENSIS IANVARII.
M. GEORGIO CORNVTY, Doctore Medico Moderatore. 745

An Venenatis morbis ἀλεξιτήρια ?



OR nec diu, nec sæpè dolet: exolutionem illius, vel immodicam intemperiem mors illicò sequitur. In eo sedem habet febris, sine qua nemo perit, ne Apoplecticus quidem. Ab eo calor & spiritus per arterias quoquouersùm diffunduntur; & affectæ, si qua est, parti succurrunt. Infesta autem illis est venenata substantia, quam vbi inopinato occursu latentem in membris sensere, statim retrogrado motu fugiunt; sed ipsius veneni contactu inquinati, dum ad cor sese referunt, transfusa in ipsum virulenta lue, morbi venenati seminaria sunt. Is, cùm formæ morbus sit, actiones cordis primùm destruit, à quo vesicam, vt cantharides: pulmones, vt lepus marinus: cerebrum, vt hyoscyamus: aut aliam, cui proprietate naturæ venenum aduersatur, corporis partem lædit. Nego humorum extrema intemperie, retenti seminis corruptione, & menstruorum suppressione, venenatum morbum induci; sed virulenti animalis morsu, insufflatione, sibilo, punctura, tactu, plantæ integræ, vel quarumdam partium esu, succi expressi potu, pulueris iniectione, & tandem debita venenosæ substantiæ corpori approximatione communicari solummodò fatendum est.



ENENVM (cui Græci nullum nomen inuenere) res est non naturalis, mistú quoddam, à natura creatum ad animalium nutritionem, Substantia, non accidens, & qualitas: humanæ naturæ corruptiuum: Nulli parcit. Interim tardiùs, aliàs citiùs interimit: ocyùs, calidi & ieiuni; seriùs, frigidi & saturi enecantur. Fabulæ sunt parari posse venenum, quod decima die, vel trigesima, vel duorum mensium spatio, vel alio stato die occidat. Nugæ fontem posse veneno inquinari; gladius, culter, telum, nullo negotio inficiuntur. Nullum aperta qualitate, quodlibet tota substantiæ proprietate perimit. Hæc natura est, non κρᾶσις, sed virtus substantialis acquisita in ipso misto ex dispositione præuia ipsius temperamenti, & vnione formæ, cum materia. Facultas illa, quá maxima est, etiam in minima mole. Labor est in venenorum censu, vbique latent, inter metallica, animalia, & plantas, quarum immensa præ cæteris series, inquinamento fungis cedit; ij dum Helluonum palato arrident, frigore nimio mortem inferunt. Suis etiam omnia signis indicantur. Euphorbium, summo incendio: cicuta & opium, stupore: calx, siti: gypsum, strangulatu: solanum, suffocatione: napellus, exulceratione dignoscitur. νέκρωσις, putrefactio, φλεγμονή, & dolor, animalis virulenti morsum & puncturam detegunt. Venenata non esse animalia, vermes, si qui ex cadaueribus oriantur, produnt.



FFECTVS venenati magnitudo & κακοήθεια, salutarem medici manum expetit, immò premit partis affectæ præstantia, vitæ discrimen & certa mors in mora. Placet naturæ via, quæ quod nocet, statim expellit; Ars illi suppetias fert, actionem promouendo; vel si quid exequi non possit, absoluendo. τέχνη τὰ μὲν ἐπιτελεῖ, ἃ ἡ φύσις ἀδυνατεῖ ἀπεργάζεσθαι, τὰ δὲ μιμεῖται: In hoc affectu medicus naturæ æmulus est, hæc vniuersi partes similium nexu conseruat, vimque admirabilem singulis indidit, quà trahantur à simili, pellantur à contrario; qualitatum primarum hoc opus esse voluit in elementis; aliud in mistis posuit antipathiæ & sympathiæ principium; formam nimirum simplicem, quæ spiritualem sui speciem, ad consimile sibi specie, aut actu, aut proprio subiecto per medium transmittat, ipsi vniatur, & tandem trahat, nisi mistionis diffo rmitas impediat, per quam sæpè mista aliud actu sunt, aliud potentiâ. Nec aliter vnum ab alio propellitur, quàm per propriæ speciei diffusionem, quæ tanto validior esse debet, quantò imperfectior actio futura est, si principium contrarietatis, forma nimirum, in eo misto quod arcere vis, potentiorem speciem emittat. Hinc medicus venenum veneno non extinguit; nec vulgaribus & benignis medicamentis, sed Alexiterijs oppugnat, in quibus latens forma secretò ruit in venenum, & per antipathiam expellit.



ΑΛΕΞΗΤΗΡΙΑ sunt medicamenta quæ spiritui robur addunt; & si quod in corpore venenum delitescat, extrà, sine noxa deducunt, exitiali etiam sæpenumerò vi deleta. Cognitio illorum medicis necessaria est, plusque vtilitatis affert quàm venenorum; quæ docere veneficus deberet, non medicus. Sed cùm illa recenseat ad cautelam, non ad hominum perniciem, ideò & sua statim quibuscunque venenis alexiteria subscribit. Nos illorum duplex genus statuimus, naturale vnum, aliud artificiale; huic Theriacæ, illi nomen *Albezahar* assigna. Vtrumque temperamento & qualitatibus vtitur ad alicuius morbi medelam; venenis verò extinguendis, illorum forma & proprietas inseruit. Ex naturalibus præcipua sunt Aurum, Margaritæ, Iacynthus, Cinnamomum, Coriandrum, Crocus, Camphora, Corallus, Terra Sigillata verè diuina, & omnem fidem euentu semper felici superans lapis Bezoar. Ex his Iacynthum, Margaritas, & Bezoar aliquid à calore natiuo pati credibile est, non quòd ille vim habeat in substantiam illorum, & accidentia formæ inhærentia; sed quòd, vt instrumentum cordis, illa cum sanguine per venas deducat, & laboranti cordi approximet, à quo calefacta vires ocyùs in virus exerunt. Theriacæ, Mithridatij, & aliorum, quæ ars parat, virtus non ex parte simplicium prouenit; sed proprietate, quam fermentatione consequuntur: Caruit artificialibus antiquitas, illorum loco vsa Hyperico, Vincetoxico, Enula, Raphano, Dictamno, vtraque Aristolochia, tum longa, tum rotunda, & lactucella, quarum vires Theriaca non inferiores experta est.



ΑΛΕΞΗΤΗΡΙΩΝ omnium vis æqualis non est, naturalium vt simplex mistio, sic vna solummodò in haustum venenum operatio. Theriacæ, Mithridatij, cæterorumque secundæ complexionis facultas æquè morsibus & puncturis prodest, atque assumptis per os venenis. Hinc Theriacæ vsum ad tutamen in sanis non probo. Conuenientiùs egeris ad vitæ præsidium, si fœniculum & ocimum vites, nec ambules sub nuce, cupresso, buxo, picea, arboribus magnis, vmbrosis, aut herbosis locis. Domus nouo semper cornu cerui suffitu redoleat; pauimentum serpyllo, solano, origano, stratum sit. Nusquàm ad conuiuium fame vel siti maceratus accedas; in conuiuio quarta exhibiti iuris vel vini pars imo in vase subsidat. Procul à serpentibus, viperis, araneis, vinum & lac amoue. Demum, ne inter epulas animi pendeas, cornu Serpentis, vas ex aurichalco, & Smaragdus, secreto quem ipsis natura dedit cum venenis dissensu, occultum dapibus aut potu venenum aperient.

Ergo Venenatis morbis ἀλεξιτήρια. 191

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LANGLOYS Parisinus, Anno R. H. M. DC. XXX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Carolus Guillemeau. Med. Reg. ord.	*M. Petrus Sauare.*	*M. Ioannes Merlet.*
M. Franciscus Mallet.	*M. Germanus de Launay.*	*M. Gabriel Harduinus de S. Iacques.*
M. Iacobus Iouuin.	*M. Philippus Harduinus de S. Iacques.*	*M. Michael de la Vigne.*